

tuli Generalis, si eodem durante Capitulo, causa hujusmodi pateat, vel rationabiliter praesumatur. Sed si inter Capitulum & Capitulum aliqua de praedictis causis contigerit, vel verisimiliter timeatur, tunc Pater Generalis, & Personae ad tenendum privatum Capitulum assignatae, quas dicitur Pater Generalis ad se ob hoc faciat congregari, praedictam possint facere Generalis Capituli mutationem in aliud Monasterium ejusdem Ordinis ad illud per eos assignandum. Aut si forsitan sibi melius videatur, dilatetur per eos dictum Generale Capitulum ad annum sequentem, vel aliud triennium, prout negotiorum necessitas vel utilitas eos adduxerit ordinandum. Non tamen fiat talis dilatio, nisi consentiant quatuor ex his, qui concurrunt in ipso privato Capitulo. Cum vero hujusmodi mutatio seu dilatio facta fuerit, notificetur per eosdem dilatantes Prioribus & Conventibus nostri Ordinis tempore opportuno: Quae Constitutio est approbata auctoritate Apostolica quantum ad locum celebrationis Capituli Generalis.

Extravagans I.

§.37. In quolibet nostrorum Monasteriorum celebretur Missa Spiritus Sancti ipsa die, qua celebratur in Monasterio Sancti Bartholomaei pro electione Patris Generalis, & Patrum Definitorum; necnon pro negotiis Ordinis in dicto Capitulo ordinandis. Et durante Capitulo generali saltem fiat in Missa collecta & deprecatio post elevationem cum Orationibus competentibus, nisi fuerit festum duplex.

Extravagans II.

§.38. Tam dignitas & officium Patris Generalis, quam Priores novarum Domorum, Visitatores, ceteraque alia officia & munera, quae in Capitulis Generalibus providentur, & eligi solent, durent in suis officiis usque ad novi Capituli Generalis celebrationem, quantumcumque dictum Capitulum Generale ex causa pestis, famis, belli, vel similibus, ut in hac Constitutione, prolongetur: Quod auctoritate Apostolica confirmatum, & observari mandatum fuit.

Extravagans III.

§.39. Priores & Procuratores Monasteriorum magis distantium a Monasterio S. Bartholomaei ad Capitulum Generale venturi a propriis Monasteriis non exeant ante tertium diem Paschae Resurrectionis Dominicae; ut reperiantur in suis Monasteriis pro Hebdomada majori & sanctissimo Paschate celebrandis: Propinquiores vero praesentibus Monasterio ita moderate accipiant dies pro itinere necessarios, ut sine vagatione ad dictum Capitulum Generale accedant; nec euntes aut revertentes per Curiam Regiam transitum faciant sine licentia speciali Patris Generalis.

De dilatio- ne hujusmodi Capituli.

Missa Spiritus Sancti celebra-nda in omnibus Monast- & Collecta dicenda.

Officia du- gent usque ad novum Capitu- lum Gene- rale.

Quo tempo- re quis Voca- lium e Mona- sterio exire debeat ad Ca- pitulum Ge- nerale accesse- re.

Extravagans IV.

§.40. Si contingat Capitulum Generale in aliud tempus cum quatuor Deputatorum privati Capituli consensu prolongari ob causas in hac Constitutione expressas, si ista, cujuslibet dictorum quatuor Deputatorum judicio, cessaverint tempore opportuno & sufficienti ad convocandum & congregandum Generale Capitulum, debeat & teneatur Pater Generalis ab ipsis, vel quolibet illorum requisitus, prolongatione facta non obstante, convocare & congregare dictum Generale Capitulum tempore designato in Constitutione celebrandum; Quod si renuerit vel omiserit, a dicti privati Capituli Deputatis possit & debeat convocari, ut tempore praescripto celebretur, ut in Constitutione disponitur.

Extravagans V.

§.41. Si contingat Generalatum vacare, existente aliqua ex causis in hac Constitutione praescriptis ad dilatandum Capitulum Generale, aut eam ipsius vacationis tempore taliter accidere, quod duae saltem ex tribus partibus Electorum pro Capitulo intermedio designatorum, eidem interesse debentium, citari & convocari, ad dictumque Capitulum vel per se, vel per suos Procuratores commode accedere nequeant; Pater Vicarius Generalis possit Capitulum privatum congregare, & dictum Capitulum intermedium cum quatuor illius Deputatorum consensu in aliud tempus prorogare valeat. Verum si duae praedictae Electorum partes ex tribus, personali- ter vel per suos Procuratores commode ad dictum Capitulum accedere possint, praedicta causa non obstante, Capitulum intermedium omnino convocetur, & per Electores praesentes die praefixo ad electionem Patris Generalis debite procedatur.

Extravagans VI.

§.42. Expensae necessariae ad celebrandum Capitulum Generale subministrari debeant a Monasterio Sancti Bartholomaei de Lupiana ex redditibus Praesentium de Utrera, quod ad hunc effectum clar. memor. Cardinalis Ostiensis cum Brevi san. mem. Nicolai V. Ordini nostro aggregavit. Si autem ad hujusmodi expensas ministrandas d. Praesentium redditus insufficientes fuerint, ab omnibus Ordinis Monasteriis pro rata suppleantur, computando expensam diuturnam cujuscumque Monachi Capitularis cum famulo & aequitatu octo regales cum dimidio monetae Castellae, sicut decretum & mandatum est a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium.

A quibus faciendae sint expensae Capituli Generalis.

Non ultra tres personas de quolibet Domo liceat in Capitulo admitti.

Tenor mandati procuratorum.

CONSTITUTIO IV.

De electione & officio Procuratoris Capituli Generalis.

§.43. Singuli Priores Monasteriorum nostri Ordinis cum singulis Procuratoribus suorum Conventuum personaliter veniant ad Generale Capitulum celebrandum; hujusmodi autem Procuratorem quilibet Conventus de magis idoneis & discretioribus suae Domus per viam scrutinii eligendo constituat: ita, quod ille, qui plures numero, quam alius, voces habuerit, Procurator illius Monasterii habeatur, licet in eo major pars Capituli non concurrat. Quod si duo vel plures aequali numero voces habuerint, unius eorum per Priorem acceptetur electio, qui secundum suam conscientiam magis idoneus & discretior videatur. Idem autem Procurator socius sit Priori ad Capitulum venientis; Alioquin nisi Priores a veniendo, & Conventus a mittendo Procuratores hujusmodi legitimo impedimento excusentur, vice illa in Generali Capitulo careant voce sua, nec alteri eam possint committere; & nihilominus ad ejusdem Capituli arbitrium puniantur. Si vero Prior aliquis infirmitate, seu alia justa causa, impediat venire, causas hujusmodi per suas literas insinuet Capitulo Generali, suumque Procuratorem constituat, qui vicem suam teneat in ipso Capitulo. Similiter etiam Conventus non valens commode Procuratorem de suis Monachis destinare, Procuratorem deputet aliquem Ordinis Monachum. In nullo tamen casu ultra tres Personas, computato Priore, de una & eadem Domo ad Generale Capitulum licebit admitti; nec quisquam ibidem duas possit voces habere, etiam si plurius Procurator existat; liceat autem sibi unam, quam maluerit praedictarum vocum, eligere. Priores autem & Conventus legitime impediti, nisi Procuratores ad Capitulum miserint, ut praesertim, ad arbitrium ejusdem Capituli puniantur. Priores autem, & Procuratores hujusmodi ante Sabbatum, praedictam tertiam Dominicam post Pascha immedie praecedens, S. Bartholomaei Monasterium intrare non debent. Sane ad Capitulum Generale Procurator nullus admittatur, nisi professus & in Sacris Ordinibus constitutus; De cuius utique Procuratoris electione sive constitutione idem Conventus Generali Capitulo fidem faciat per suas patentes literas, nominibus aliquorum Monachorum de eligentibus roboratas, & conventuali sigillo munitas. In quibus quidem literis non est opus hujusmodi potestatem ad longum exprimere; sed sufficit constare Generali Capitulo, quod talis est Procurator talis Conventus ad idem Capitulum destinatus. Tenor quoque hujusmodi potestatis fiat in forma sequenti:

Noverint Universi, quod in Monasterio N. Diocesis N. Ordinis Monachorum S. Hieronymi, die N. mense N. anno a Nativitate Domini &c. omnes & singuli Monachi ejusdem Monasterii professi in Sacris constituti constituimus & ordinamus nostrum cer-

tum & specialem Procuratorem Patrem N. Presbyterum ipsius Monasterii ad omnia & singula facienda, tractanda, consentienda, firmanda: seu dissentienda, sive revocanda, quaecumque fuerint exponenda, dicenda, tractanda, examinanda seu definienda in Capitulo Generali per Priores & Monachos ejusdem Ordinis, tenendo isto anno praesenti in Monasterio Sancti Bartholomaei dicti Ordinis, quae Generalem statum seu utilitatem totius Ordinis tangant, seu concernere quomodolibet poterunt; etiam, quoties fuerit opportunum ad substituendum alium Procuratorem nostri Ordinis professum in Sacris constitutum ad omnia & singula supradicta; & quia praedicta vera sunt, rogavimus Monachos infra scriptos in Sacris constitutos, quatenus literas hujusmodi suis nominibus roborarent; quaque sigillo dicti Conventus fecimus sigillari.

§.44. Praefati autem Priores & Procuratores nomine & vice suorum Monasteriorum potestatem habeant consentiendi, seu contradicendi quibuscumque in Generali Capitulo dicendis, tractandis, & agendis ad communem statum Ordinis pertinentibus. Nullatenus tamen jidem Procuratores habeant potestatem consentiendi, quod duratio Prioratum quomodolibet ultra triennium protrahatur; quin potius pro expresse prohibitis, immo pro veris contradictoribus habeantur, nisi super hoc eis in suis procuratoriis expressa & specialis fuerit attributa potestas sive facultas. Ceterum Procurator impeditus Generali Capitulo interesse, alium ad illud substituatur loco sui, nisi substituendi potestas expresse sibi fuerit in Procuratorio denegata. Quovis etiam casu hi, qui non venient ad Generale Capitulum, per suas patentes literas statum suorum Monasteriorum tam spirituales quam temporales ipsi Capitulo intimare non differant; & Priores humiliter misericordiam, hoc est, ab onere suorum Prioratum absolutionem, exposcant.

Extravagans I.

§.45. Priorissae & Monasteria Monialium nostri Ordinis, etiam per Procuratores, voce careant in Capitulo Generali; per Procuratores tamen Monasteriorum Priorum, qui illarum curam habent, negotia, quae in Capitulis Generalibus agere velint, transmittant.

Extravagans II.

§.46. Priores non habent Votum in electione Procuratoris pro Capitulo Generali; Veruntamen sint praesentes ipsius electioni, ut in Constitutione disponitur; & post factam electionem, ipsi Priores pariter praesentes sint, & audiant commissiones, quas Vocales capitulariter dicto Procuratori imposuerint; quia si contrarium fiat, multa oriri possunt inconvenientia & controversiae.

Facultates Priorum, & Procuratorum in hujusmodi Capitulis.

Procuratoribus legitime impeditis alium sui loco substituere posse declarat.

Monasteriis Monialium, quilibet locus denegatur.

Priores praesentes esse debent electioni Procuratoris Capituli, dandis ei commissionibus.

Extravagans III.

Pro Monasteriis, in quibus Prioratus vacaverit, nec Vicarias, nec ejus Procurator admittendus.

§.47. Si in aliquo Monasterio vacaverit Prioratus tempore Capit. Generalis, Vicarius non possit venire, nec mittere alium Procuratorem ad Capitulum Generale, quam illum dumtaxat, quem elegerit Conventus. Idipsum in Capitulo intermedio servari debeat, si ali- quod Monasterium Turni, ad quem spectat electio, Priore caruerit tempore ipsius celebra- tionis.

Extravagans IV.

Vicarius eligi non queat in Procuratore Cap. Gen.

§.48. Vicarius non eligatur in Procuratore Capituli Generalis.

Extravagans V.

Procurato- res Conven- tum, non nisi mandata suorum Capitulum afferre possint.

§.49. Procuratores Conventuum, qui venient ad nostrum Capitulum Generale, non proponant nomine suorum Conventuum, quod a Personis particularibus fuerit eis injunctum, & commendatum; & quod a suis Conventibus illis fuerit commissum, afferant in scri- ptis subscriptum a majori parte dicti Capituli. Poterunt tamen portare Epistolas, & Mem- orialia Personarum particularium eis manda- ta & commissa ad Definidores, abique eo, quod necesse sit, ut a suis Prioribus signen- tur.

Extravagans VI.

Qui possint eligi Procura- tores a Priori- bus impedi- tis.

§.50. Procuratores deputandi a Prioribus impeditis venire ad Gener. Capitulum, vicem & vocem ipsorum in eo habituri, ut in Con- stitutione disponitur, necessario constituantur, vel ex PP. Lectoribus Jubilatis, vel ex Monachis, qui Priores aut Visitatores Dif- finitoresve Generales extiterint, & quorum Monasteria tres Personas & voces pro dicto Generali Capitulo prius deputatas non ha- beant.

Extravagans VII.

De Exgenera- libus, eorum- que privile- giis.

§.51. Omnes Patres Exgenerales possint personaliter interesse Capitulis tam Genera- libus quam intermediis; in eisque votum acti- vum & passivum habere, tam in electione. Patris Generalis, quam in reliquis in dictis Capitulis faciendis: Dummodo quoad votum passivum subjecti sint legibus & Extravagan- tibus, quibus ceteri Monachi nunc subiciun- tur, & imposterum subjecti erunt. Ceterum vox dd. PP. Exgeneralium minime compu- tetur in numero trium, que concurrere pos- sunt ad Generale Capitulum ex hac Constitu- tione; sed prater duos aut tres Monachos, qui ad dicta Capitula Generalia, & interme- dia respective concurrere possunt ex quolibet Monasterio; omnes etiam Exgenerales ejus- dem Monasterii professi concurrant, & vo- cem habeant; dummodo personaliter dd. Ca- pitulis interveniant; Quod auctoritate Apo- stolica est confirmatum.

Extravagans VIII.

§.52. Priores & Procuratores, ad Capit. tam Generalia quam intermedia convenientes, veniant & accedant sumptibus & expensis Monasteriorum illorum, quorum voces in dictis Capitulis habent: Patres vero Exgenerales expensis Monasteriorum suarum professionis.

Priores, & Procuratores, cujus expensis accedere debeant.

Extravagans IX.

§.53. Vocales Capituli intermedii, sive Priores sive Procuratores existant, infirmitate seu alia justa de causa impediti, possint Procuratores constituere, suas vices & voces habituros in dicto Capitulo; prout hanc Consti- tutio disponit de Prioribus & Procuratoribus Capituli Generalis; dummodo causam praedi- ctam per suas literas Capitulo praedicto noti- ficent. Constituuntur vero Procuratores Personae habentes qualitates & condiciones requisitas per suprapositam Extravagantem: Nulliusque Monasterii ultra duas voces ad- mittatur tertia in dicto Capitulo interme- dio.

De Procura- toribus Vocali- bus Capituli intermedii, eorumque facultatibus.

Extravagans X.

§.54. Monachi eligendi in Procuratores Cap- ituli Generalis Monasteriorum Professionis, & Collegiorum nostrorum, necessario habere debeant licentiam alicujus Ordinarii Diocesa- ni ad audiendas Confessiones, & etiam viginti annos completos ab Habitu receptione nisi Lectores Theologiae Scholasticae fuerint, qui post decem annos completos ab Habitu recepto, ad habendam in Capitulo vocem re- quisitos, in tales Procuratores eligi poterunt. Eligendi vero in Procuratores Capituli Generalis novarum Domorum sint praecise vel ex Visitatoribus Generalibus actualibus, non tamen ejusdem Territorii, vel ex PP. Lectoribus Jubilatis, aut Regiae Magestatis Praedi- catoribus, vel ex Monachis, qui prius Priores vel Definidores, aut Visitatores Generales ex- titerint.

Conditioes requirende in eligendis in Procuratores Cap. Gen.

Extravagans XI.

§.55. Procuratores Capituli Generalis in Monasteriis electionis juxta morem eligantur mensibus Novembris & Decembris imme- diatis ante dicti Capituli celebrationem; Ad quorum electiones Priores Monasteriorum, eligentium omnes Vocales intra duodecim leucas a suis Monasteriis quomodolibet com- morantes, die & hora electionis assignatis, citare debeant; & postquam factae fuerint electiones, notificare teneantur P. Generali Procuratorem electum, diemque & horam suae electionis.

Tempus ele- ctionis Procu- rat. Capit. Gen.

Extravagans XII.

§.56. Si contingat tempore electionis Procu- ratoris Capituli Generalis Prioratum alicujus nostrorum Monasteriorum quomodocumque vacare, illius Vicarius non habeat vocem in dicta

Vicarius Mo- nasterii vacante Prioratu hanc in ele- ctione vocem non habeat.

Habeat vero si tantummodo Prior sit Abbas.

dicta electione; illam tamen debeat habere ad eligendum alterum ex duobus, inter quos sint aequaliter divisa Electorum suffragia. At vero non vacante Prioratu, sed abiente Prio- re ab aliquo Monasterio tempore dictae elec- tionis, Vicarius ex commissione Prioris elec- tionem praedictam celebrans, vocem suam habeat in illa; possitque pariter in aequali- tate suffragiorum eligere alterum ex duobus, qui sint pares suffragiis. Quod idem in reli- quis actibus Capitalibus ex commissione Prioris absentis, a Vicariis nostrorum Mona- steriorum celebratis, pariformiter obser- vetur.

Extravagans XIII.

Procurator Capit. Gener. Collegii Salmantini ex Monachis Monasterii ejusdem eligendus.

§.57. Ex concordia & concessione totius Or- dinis Procurator Capituli Generalis Collegii Salmantini B. Mariae de Guadalupe debeat eligi necessario ex Monachis professis ipsius Monasterii de Guadalupe; nec dicti Procu- ratoris vox & Persona computari debeat inter tres Personas & voces, singulis Monaste- riis a Constitutione concessas, quas ultra d. Procuratoris vocem praedictum Monasterium insuper habere possit & valeat.

Extravagans XIV.

A Generali vero prima die Capituli eligendi duo qui exami- nent manda- ta Procura- torum.

§.58. P. Generalis prima die Capituli juxta stylum & morem, nominet unum ex Prio- ribus, alterumque ex Procuratoribus habili- tibus & discretioribus, qui omnia mandata Procuratorum ad Capitulum venientium di- ligenter examinent, illorumque legitimita- tem recognoscant, examenque & recognitio- nem hujusmodi, atque inde sequuta, legiti- mosque Vocales ad Capitulum concurrentes, in eoque vocem habentes, postea in prima ses- sione Capituli Generalis exacte & fideliter referant.

CONSTITUTIO V.

De Sede Priorum & Procuratorum in Capitulo Generali.

Procuratores Priorum ceteros Procura- tores praecedant.

§.59. Certam sessionem sive locum in Gene- rali Capit. teneat quilibet Prior vel Monachus Procurator secundum antiquitatem fundati- onis Monasterii, cujus Prior vel Procurator existat. Volumus tamen, quod Procuratores Priorum cunctos Procuratores Conventuum in sessione praecedant. De gratia tamen spe- ciali multis ex causis rationabilibus statuimus & concedimus, quod Monasterium Sanctae Mariae de Guadalupe nostri Ordinis Toletanae Diocesis in omnibus & per omnia praerogativas & libertates, vocem & locum in quibuscumque actibus in Ordine nostro ha- beat, ac si ante omnia Monasteria ipsum post Monasterium S. Bartholomaei fuisset imme- diate fundatum.

Extravagans I.

De officio, & sessione Vica-

§.60. Vicarius S. Bartholomaei, & Heb- domadarius praecedant in Refectorio omnes

Procuratores Capituli Generalis; atque ab- sentibus Definitoribus sedeat, Vicarius in- menta principali, & signum faciat cum cam- panula; In Choro vero Hebdomadarius se- deat in sede ad ipsum pertinente; Vicarius autem in diversis sedibus sedeat, attenta qua- litate & praecedentia Praelatorum & Perso- narum ibi praesentium, faciatque signa de- more consueta.

rii, & Hebdo- madari San- cti Bartholo- maei.

Extravagans II.

§.61. Volens nostra Religio gratis & fa- voribus, a Rege Nostro Philippo Secundo ac- ceptis, se gratam ostendere, concessit Regio Monasterio Sancti Laurentii a Majestate Sua fundato sedem & antiquitatem immediate post Monasteria Sancti Bartholomaei, & Beatae Mariae de Guadalupe; itaut Sedes Prioris Sancti Laurentii sit secunda in Choro ex parte Vicarii post Priorem Sancti Bartholo- maei.

Cessio Prioris Monast. Sancti Laurentii.

Extravagans III.

§.62. Ex Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium decreto, quod cum Apostolico Brevi est confirmatum, Prior Sancti Bartho- lomaei praecedat in omni loco omnibus Prio- ribus Ordinis nostri.

Praecedentia Prioris Sancti Bartholomaei super ceteros Piores.

Extravagans IV.

§.63. In praecedentia & sessionibus Capitu- li Generalis servetur hic ordo, videlicet: Ge- neralis immediate absolutus & vacans statim post Definidores omnibus praecedat in cunctis locis, quibus Ordo fuerit congregatus. Dein- de immediate post illum Patres Ex-Genera- les ante omnes Priores secundum suam in- Generalatu antiquitatem. Post Priores actua- les, Priores absoluti Monasteriorum Sancti Bartholomaei, Beatae Mariae de Guadalupe, & Sancti Laurentii Regalis. Omnes Visitatores Generales secundum cujusque Territorii clas- sem & antiquitatem; Subinde PP. Lectores Jubilati, quibus succedant Procuratores Prio- rum absentium, & immediate post illos Pro- curator & Secretarius Generalis ante omnes Monasteriorum Procuratores; prout haec- nus de more servatum est.

Ordo servan- dus in sessio- nibus.

CONSTITUTIO VI.

Quod Visitatores Generales eant ad Capitulum, & Speciales mittant informationem suam.

§.64. Visitatores Generales triennii proxime praeteriti veniant omnino ad sequens Capitu- lum Generale. Idem etiam de Visitatoribus particularibus fiat, si specialiter per Patrem Generalem fuerint evocati. Qui quidem om- nes Visitatores permittantur interesse Cap- itulo Generali; nullam tamen vocem in eo habeant, nisi Priores vel Procuratores ex- istant; licet possint loqui quicquid sibi bene videbitur. Visitatores vero particulares, qui non venerint, Definitoribus per suas literas plenam

plenam suae Vistationis informationem, quemadmodum Vistatores Generales facere debent, praesertim quoad misericordias Priorum, & status, reparationemque Monasteriorum, mittere teneantur.

Extravagans I.

Scrutinium inter Priores & Procuratores prima Capituli die faciendum, ad removendas subornationes &c.

§.65. Prima die, qua ingrediuntur Capitulares Monasterium S. Bartholomaei, Vistatores Generales Castellae, unusque ex Deputatis Capituli privati a Patre Generali designandus, faciant scrutinium inter Priores & Procuratores, qui veniunt ad Capitulum, si forte interfuerint subornationes, dona, aut promissiones pro electione Definitorum, & futuri Generalis; & quos delinquentes invenerint, juxta nostras Constitutiones puniant & castigent.

Extravagans II.

§.66. Eadem die Pater Generalis assignet duos ex Privati Capituli Deputatis, qui post meridiem vident Vistatores Generales, & audiant querelas, sique contra illos proclamatae, aut inventae fuerint: Processus vero serventur, tradanturque Definitoribus futuris, ut determinent tantum, & declarent illos habiles aut inhabiles ad electionem Generalis; alia vero, si qua fuerint, definienda serventur post electum & confirmatum futurum Generalem.

CONSTITUTIO VII.

De electione, & facultate Definitorum.

Prior S. Bartholomaei Definitor perpetuus.

§.67. Decretis a Sac. Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum & Regularium negotiis praeposita, successively confirmatis Brevi Apostolico, supra Constitutione prima enuntiato, obtemperantes declaramus: Priorem pro tempore Monasterii Sancti Bartholomaei Definitorum perpetuum cum praecedentia supra ceteros Priores: Quamobrem in posterum, non octo, ut antiquitus, sed septem dumtaxat Personae in Definitorum Capituli Generalis, quarum tres tantum sint Priores, & quatuor Monachi ex Procuratoribus Monasteriorum in eodem Capitulo existentes, ab illis, qui in eodem Capitulo vocem habent, sine Personarum & Nationum acceptione ante omnia eligantur. De Monasterio autem Sancti Bartholomaei, ultra Priorem & Procuratorem ejusdem Monasterii, poterunt Electores, si velint, eligere Definitorum Monachum aliquem profectum ipsius Monasterii; dummodo tamen sit Persona notabilis & discreta, in numero dictorum quatuor Monachorum Procuratorum computandum. Quae quidem electio Definitorum fiat hoc modo: Assignentur & dentur in publico per majorem partem Capituli tres Scrutatores, qui prius vota sua, deinde singulorum omnium votum habentium secreta recipiant. Quibus receptis, & facta inter se collatione secreta solius numeri eligentium, Personas quoque eligentes nullatenus

Modus electionis Definitorum faciendus.

tempore aliquo declarando, unus ex eisdem scrutatoribus omnes electos in Definitorum statim & publice in Generali Capitulo publicet: quorum illi sint Definitores, in quos plura eligentium vota, non totius Capituli, sed respectu partium minorum, concurrunt. Si tamen in numero pari circa aliquos vota concurrerint Electorum, tunc ille Definitor existat, quem Scrutatores ipsi vel duorum in Definitorum, tamquam magis idoneum, declaraverint assumendum; super quo ipsorum conscientiam oneramus. Causa quoque rationabili nos movente, Nostris Monasteriis infra ditionem Serenissimi Domini Regis Aragonum constitutis de gratia speciali concedimus, quod ex aliquo eorumdem Monasteriorum unus Prior vel Monachus, qui respectu Priorum & Monachorum suae propriae Nationis in Definitorum electorum plures, ut supra praemittitur, voces habuerit, in Definitorum quolibet Generali Capitulo eligatur; etiam si in eum pauciores voces, quam in singulos Priores & Monachos Nationis Castellae ad officium praedictum electos, concurrant. Hi autem septem Definitores (ut praefertur) electi cum Priore Sancti Bartholomaei, qui est de per se, & Pater Generalis una cum ipsis, habeant in negotiis particularibus omnimodam & plenam potestatem ordinandi, statuendi, diffiniendi omnia & singula, quae secundum Deum, & nostri Ordinis observantiam utiliora esse viderint, in eodem Capitulo, ordinanda, statuenda, diffinienda. Ea vero, quae per eos vel majorem partem ipsorum fuerint ordinata, statuta, vel diffinita, sine contradictione aliqua inter Personas, quas tangit negotium, inviolabiliter observentur. Nullatenus tamen possint Definitores absque consensu ejusdem Capituli Statuta Constitutiones vel Ordinationes de novo facere, siue jam facta tollere vel mutare; nec aliquam dispensationem perpetuam contra hujusmodi statuta concedere. Ceterum praedicta Definitorum potestas, nisi in aliquibus casibus multum arduis, & causa magna, quae per prius toti Generali Capitulo vel ipsius duabus partibus multum evidens & perutilis videatur, nullatenus possit tolli eisdem.

Definitorum facultates.

§.68. Verum finito Generali Capitulo nullo modo praedicta potestate utantur, nisi in aliquibus casibus & certis diebus immediate Capitulum ipsum sequentibus potestas aliqua per idem Capitulum eisdem specialiter concedatur. Generali quoque durante Capitulo, Pater Generalis ampliore potestatem non habeat, quam habet unus Definitorum, nisi in foro conscientiae; possit tamen aliquid quasi interloquendum dicere in rebus modicis, in quibus nulla videbitur dubitatio. Praeterea, dum publica tenebitur Capituli Generalis audientia, Pater Generalis, & Definitores, nullo alio inter eos sedente, contigui sedent, observato inter eos ordine, qui servatur in sessione Capituli Generalis. Verum, quidquid fuerit per Patrem Generalem & Definitorum ordinandum, statuendum, vel definiendum, seu determinandum, ante per aliquem ad hoc designatum in publica audientia totius Generalis Capituli proponantur;

Generalis facultates durante Capitulo expirant.

De publicatione Statutorum per Generalem, & Definitorum.

tur; nisi talia sint, quae ibidem non deceat publicari. Quae autem fuerint per eisdem ordinata, statuta, diffinita, seu determinata, ultima die Capituli in eadem audientia per Patrem Generalem seu per aliquem Definitorum, quem ipse assignaverit, perlegantur. Omnia vero, quae in Capitulo Generali fuerint tractata, dicta, seu determinata, in secreto penitus teneantur, donec ipsum Capitulum sit finitum. Si tamen talia sint, quae utilitas petit, seu honestas admonet, ut in notitiam multorum non veniant; nullatenus aliquibus temporibus revelentur. Qui autem contrarium fecerit, debite puniatur.

Extravagans I.

Qui excludantur ab officio Definitorum.

§.69. Non possint eligi in Definitorum Capituli Generalis, neque Patres Capituli privati immediate praecedentis deputati, neque aliquis omnium Vistatorum Generalium suam Vistationem in dicto Generali Capitulo terminatum; qui similiter non poterunt eligi in Deputatos Capituli privati triennio suae Vistationis. Nec denique ullus ex Definitoribus Capituli Generalis immediate praeteriti; & ut suorum munerum & officiorum possint residentia subijci, & rationem reddere. Quae omnia a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium sunt approbata, & observari mandata.

Extravagans II.

In quolibet Monasterio unus tantum Definitor eligi possit.

§.70. Ex Professis unius & ejusdem Monasterii non possit esse, nec eligi, nisi unus solummodo Definitor; neque Prior & Procurator unius Monasterii, quamvis diversorum Monasteriorum Professus, in Definitorum simul eligi pariter valeant. Quoad Monasterium vero Sancti Bartholomaei remaneat in suo vigore & vi, Constitutionis dispositio: nempe quod ultra Priorem & Procuratorem eligi possit in Definitorum alter Monachus dicti Monasterii Sancti Bartholomaei, qui sit Persona notabilis & discreta, loco & numero vnius Procuratorum in Definitorum eligendorum; prout in ipsa Constitutione disponitur.

Extravagans III.

Definitorum Cap. Gener. alio novo officio esse in Cap. gaudere non possunt.

§.71. Definitorum Capituli Generalis non possint in eo eligi in Vistatores Generales, nec exeant a Definitorio provisi aliis officiis & muneribus praeter illa, quibus gaudebant, quando Definitorum electi fuerunt; poterunt tamen eligi in Deputatos Capituli privati. Hoc idem observetur in Capituli privati Deputatis, videlicet, ut de aliquo officio provideri non possint in eodem Capitulo.

Extravagans IV.

§.72. Procuratores Definitorum habeant votum in electione Priorum Domorum novarum, cum non possint exire a Definitorio aliis officiis provisi, sed dumtaxat cum eisdem, quibus ante electionem perfruebantur.

Extravagans V.

§.73. In sequenti Sabbato post electum & confirmatum Patrem Generalem, totus Ordo celebret Missam solemnem Defunctorum pro Catholico Rege Philippo II. felicis memoriae.

Missae pro Philippo II. celebranda.

Extravagans VI.

§.74. Procurator Monasterii S. Bartholomaei non sit Definitor ex necessitate; sed poterit eligi, si Electoribus id convenire videbitur: sicut declaratum fuit a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium.

Procurator S. Bartholomaei non necessario Definitor.

Extravagans VII.

§.75. Ad regulanda suffragia Electionis Definitorum sint Scrutatores, & assistant simul cum Praefide Capituli Pater Generalis immediate absolutus ac omnes & singuli Vistatores Generales; Aliquo vero vel aliquibus illorum deficientibus, subrogetur vel subrogentur Deputati Capituli privati secundum suorum Monasteriorum antiquitatem. Vistator antiquior Castellae publicet & nominet Electos in Definitorum, & in absentia illius Socius Convistator, & in vtriusque defectu, subsequens Vistator antiquior.

De suffragiis, & Assistentibus electionis Definitorum.

Extravagans VIII.

§.76. Eligendi in Definitorum debeant ad minus extitisse vel Priores, vel Vistatores Generales, siue Lectores Jubilati, siue Praedicatores Regiae Magestatis cum exercitio, vel Deputati privati Capituli.

Conditiones requiritae ad passivam Definitoris electionem.

CONSTITUTIO VIII.

Quae ordinationes habeant vim legis in nostro Ordine.

§.77. Tunc censeantur omnino firma quaecumque ordinationes vel statuta, in Generali Capitulo facta, cum a duobus proxime sequentibus Capitulis expresse revocata non fuerint; interim tamen plenarie observentur. Idem quoque censemus de quacumque dispensatione, ad relaxationem rigoris Ordinis pertinente, alicui Monasteriorum, seu Personae Ordinis per Capitulum Generale concessa vel concedenda. Tamen libertates & praerogativae Monasterio Sancti Bartholomaei, in primo Generali Capitulo concessae, ita inviolabiliter serventur, prout commutate & elargitae ipsi sunt ex Decretis Sacrae Congregationis, successivo Brevi Apostolico confirmatis.

Ordinationes a duobus seqq. Capitulis confirmandae.

Exceptis iis, quae sunt pro Monast. Sancti Bartholomaei.

Extravagans I.

§.78. Ut omnis imposterum dubitatio in nostrarum legum creatione & observantia tollatur, Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium praeposita, statuit & decrevit, quod

Ac omnino proponenda.

quod perpetuis futuris temporibus Pater Generalis & Definitorum teneatur omnino proponere ordinationes vel statuta, quaecumque in nostro Generali Capitulo facta, in duobus aliis proxime sequentibus Capitulis Generalibus; Et nisi, sicut præcipitur, proposita fuerint, huiusmodi statuta & ordinationes vim obligativam amittant.

§.79. Propositione facta, quæ reuocata & reprobata fuerint cum maiori parte suffragiorum per secretum scrutinium, prorsus extincta remaneant; quæ vero similiter approbata & confirmata fuerint in secundo immediate sequenti Capitulo Generali, sine ulla intermissione observentur; atque iterum proponantur in tertio proxime sequenti Capitulo Generali, in quo si ita pariter approbentur & confirmantur, omnino firma sint, & in legem Extravagantem transeant.

§.80. Si vero Capitulum Generale in secunda vel tertia propositione expediens iudicaverit, aliqua statuta & ordinationes, in præcedentibus Capitulis facta, diuturniori tempore esse probanda, ut ad legem Extravagantem eleventur; siue censuerit, quod aliqua statuta vel ordinationes observentur absque eo, quod teneatur in proxime sequentibus Capitulis procedere ad formandam legem Extravagantem; tunc eadem statuta vel ordinationes innovare, seu de novo facere poterit; atque ita noviter facta vim obligativam tantum habeant usque ad proximum sequens Capitulum Generale: atque in actis Capitularibus describantur & publicentur. Nunquam vero in legem Extravagantem transeant, licet pluries fuerint similiter innovata, nisi ulterius approbentur & confirmantur in duobus proxime sequentibus Capitulis Generalibus, ut supra; Atque ita Sacra Congregatio perpetuo & inviolabiliter servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

#### Extravagans II.

§.81. Firmam vim legis tantum habeat, quod disponitur & ordinatur in nostris Constitutionibus, Extravagantibus, & Ordinario: Rotuli vero Capituli Generalis & privati vim obligativam habeant & observentur, quousque publicentur in Monasteriis Rotulus Capituli Generalis proxime sequentis: Literæ vero Visitatorum Generalium usque ad Visitacionem Generalem immediate sequentem observari debeant sub pœnis, in illis contentis.

#### Extravagans III.

§.82. Declaratio nostri Ordinis legum, pertineat ad N. Capitulum Generale, aut ad privatum, vel ad P. Generalem infra triennium inter Generale & Generale Capitulum, qui consulitur, si aliquid dubium occurrat, & interim declaratio Prioris observetur. Nullæ tamen declarationes vel interpretationes nostrarum Constitutionum & Extravagantium, a Capitulo Generali factæ, vim legis Extravagantis habeant & assument, nisi in duo-

bus proxime sequentibus Capitulis Generalibus, ut supra propositæ, & confirmatæ fuerint.

#### Extravagans IV.

§.83. Patribus Generalibus absolutis exemptiones sequentes conceduntur.

Primo. In toto nostro Ordine quilibet Sacerdos duas celebret Missas pro singulis illorum ex hoc sæculo decedentibus; Qui vero Sacerdotes non fuerint, Missarum æquivalentiam, ut dicitur, nempe Vesperas cum Nocturno & Laudes Defunctorum dicere debeant.

Secundo. Liberi sint & exempti ab honore Missarum communitatis, & a quocumque alio officio, præterquam Prioris aut Deputati.

Tertio. Assistere Choro, nisi fuerint Priores, non teneantur.

Quarto. Ad Capitula Generalia & Intermedia possint personaliter convenire, in eisque vocem activam & passivam intervenientes habere.

Quinto. In omnibus locis præcedant quibuslibet Monachis & Prioribus Ordinis, excepto Priore, cui subsunt & Visitatoribus generalibus vel specialibus, Confirmatoribusque in actu visitationis, & confirmationis Monasteriorum, ubi resideant.

Sexto. Possint tam ad prandium, quam ad cœnam in communi Refectorio Conventus, vel in designato pro Infirmis comedere, vel ubi ipsis magis commodum fuerit; & in Refectorio communi in mensa principali sedeant, vel ubi ipsis magis commodum videatur.

Septimo. Ipsi designentur socii in necessariis ministraturis tam in cellis, quam extra Monasterium progredientibus.

Octavo. Eorum cella eodem modo ac cella Prioris sit privilegiata; & insuper ingredi possint in alias cellas cum omnibus associatis.

Nono. Si in propriis suæ Professionis Monasteriis commoreantur, in communi Refectorio, sicut Persona Prioris tractari debeant; extra illud vero tam ad prandium quam ad cœnam extraordinarium ipsis tribuatur; Et insuper egressuris a Monasterio socius & mulæ pro ipsis parentur, ut decore & auctoritate debitæ a Monasterio egrediantur.

#### Extravagans V.

§.84. Patribus Lectoribus actualiter legentibus, & Jubilatis exemptiones sequentes conceduntur.

Primo. Ad onus Missarum pro Communitate non teneantur.

Secundo. Ad nullum officium in tabellis communibus designentur.

Tertio. Gaudeant, & vocentur titulo Paternitatis.

Quarto. Eorum cellæ sint jubilatæ, & ingredi possint in aliorum Monachorum cellas, horis silentii exceptis; præterea ipsis designentur socii pro assistentia in dictis cellis.

Quinto. Choro assistere non teneantur, nisi in Festis principalioribus, a Priore secundum

Exemptiones PP. Generalium absolutæ.

Exemptiones Lectorum.

#### Extravagans IX.

§.89. Patribus Prædicatoribus Regiæ Majestatis, residentibus in Curia in Prædicationis huiusmodi exercitio, ferventur sequentes exemptiones.

Primo. Teneantur Monasteria suæ Professionis Vestiarium ipsis tribuere, necnon alimenta juxta taxam in Capitulo Generali præscribendam.

Secundo. Habeant vocem in omnibus electionibus sui Monasterii; atque ad Prioris electionem, etiam extra viginti quinque Leucas commorantes, citari debeant.

Tertio. Post quatuordecim annos in huiusmodi exercitio Prædicationis sint Jubilati cum his exemptionibus, nempe: non teneantur ad Chorum, nisi in Festivitatibus majoribus a Priore celebrandis: Ab onere Missarum Communitatis sint omnino liberi: Non legantur nec designentur ad aliquod officium in tabellis: & denique gaudeant titulo Paternitatis.

Prædicatores vero Regiæ Majestatis, qui in propriis Monasteriis residentes, singulis annis tres saltem sermones in Regia Basilica five ad Suæ Majestatis Consilia, vel alibi prædicant in Curia, post dictos quatuordecim annos omnibus dictis exemptionibus gaudeant.

#### CONSTITUTIO IX.

De Misericordiis, quæ demandari debent in Capitulo Generali.

§.90. Misericordiam sibi fieri, antequam ad alia in Generali Capitulo procedatur, Prior Sancti Bartholomæi flexis genibus coram Diffinitoribus in eodem Capitulo publice ac humili verbo petat. Cui primo sedens unus de Diffinitoribus dicat: Quæ est misericordia, quam petitis? Et tunc dictus Prior respondeat: Peto, ut absolvatis me ab onere huius Prioratus, quem indignus gubernis; quia ad illum regendum insufficientem me reputo. Cui respondeat Diffinitor: dante Domino deliberabit Ordo, utrum vestra petitio sit admittenda, vel ne; vobisque impofterum respondebit; Surgatis ergo, & ad vestrum locum redeatis. Per eundem quoque modum successive faciant alii omnes & singuli Priores in eodem Capitulo confedentes, incipiendo a primo sedentibus, seriatim id petendo; quibus Prior Sancti Bartholomæi sigillatim respondeat, prout sibi fuit responsum. Super huiusmodi autem misericordiis cum Prioribus, ut prædicitur, faciendis, videant Diffinitores, Generali durante Capitulo, cum grandi maturaque deliberatione, præhabitis, si sit opus, veris informationibus. Quas utique misericordias ultima die Capituli faciant, cum quibus viderint expedire, utilitate ac honestate Ordinis & Monasteriorum attentis potius, quam Personarum favore; super quo eorum, conscientias oneramus. Itaque prædicta ultima die, antequam aliquid aliud pronuncietur ibidem, cuilibet Priorum absolvendorum, per

Alia pro Prædicatoribus actuali Regiæ.

dum consuetudinem Monasterii celebrandis; in quibus, primis & secundis Vesperis, Processioni & Missæ intervenire debeant. Ad Matutinum vero primis diebus tribus Natalis, Resurrectionis Domini, & Pentecostes, die Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Domini, Assumptionis Beatissimæ Virginis, Sancti Patris nostri Hieronymi, omnium Sanctorum, Commemorationis Defunctorum, Patroni vel Titularis Monasterii aut Collegii, & in triduo majoris Hebdomadæ: Præterea Sabbato Sancto ad Completorium, Viliæ Nativitatis Domini ad Primam, Dominica Pentecostes ad Tertiam, & in die Ascensionis ad Nonam accedant.

Sexto. Actuales Lectores legere non teneantur, nisi usque ad Pentecostem; imposterumque ab illo die pro ipsis legant substituti, qui poterunt esse Passantes.

Septimo. Postquam duodecim annos in lectione Philosophiæ & Theologiæ in nostris Collegiis compleverint, cæteris requisitis observantiæ Religiosis & integritatis concurrentibus, Jubilati existant & declarentur; omnibusque supradictis exemptionibus perfruantur; dummodo tamen ex debito officiorum Ordinis, si quæ ipsi habeant, puta Prioris, Vicarii, aut aliorum, assistentiæ Chori & Communitatis non teneantur.

#### Extravagans VI.

§.85. PP. Vicarii Generales, qui exercite Ordini, Sede vacante, præfuerint, iisdem gaudeant exemptionibus, quibus Lectores Jubilati; excepto tamen, quod Missas pro Communitate celebrare teneantur.

#### Extravagans VII.

§.86. Monachis, qui quatuor munera seu Dignitates obtinuerint & compleverint, ferventur exemptiones sequentes; nimirum, quod non teneantur accedere ad Matutinum media nocte, nisi in Festis solemnioribus celebrandis a Priore; nec pariter ad aliquam Horam Canonicam diebus ferialibus & simplicibus per totum annum.

§.87. Munera autem seu Dignitates ad has exemptiones lucrandas sunt: Prioratus Domus electionis aut Collegii, vel huius Recloratus integre completus: Diffinitor Capituli Generalis: Visitator Generalis, qui in Regnis Castellæ duodecim ad minus Monasteria, in Bithicæ Regnis decem, & in Aragoniæ sex exercite visitaverit: Secretarius Generalis: & Procurator Generalis.

#### Extravagans VIII.

§.88. Monachis, triginta annos a receptione Habitus habentibus, servari debeant exemptiones in singulis Monasteriis consuetudine & praxi introductæ & observatæ; ad quas lucrandas Vicariis, Novitiorum Magistris, & Correctoribus cantus, ultra annos Habitus, superaddantur illi, quibus hæc officia obtinuerunt.

Alia pro Monachis 30. annos Habitus habentibus.

Si approbentur in tertio in legem Extravagantem transeant;

Si tamen in aliquo ex his Capitulis factus non fuerit statutum.

De Rotulis Capit. Gen.

Et Literis Visit. General.

per unum de Diffinitoribus Ordine predicto in scriptis respondeatur publice, sic dicendo: Circa misericordias per Priores petitas Ordo deliberavit & definit modo, qui sequitur, videlicet: N. Priores talis Monasterii Ordo facit misericordiam, quam petiit; ipsosque absolvit a Prioratibus, quos habebant; & sic fiat de aliis Prioribus etiam absentibus quibuscumque, quibus misericordia hujusmodi fuerit facienda: Aliis autem, quibus non fiet misericordia, dicatur, quod suo, sicut antea, utantur officio. Præterea si Pater Generalis & Diffinitores super faciendâ absolutione aliquus Prioris se in partes æquales dividerint, petant a Generali Capitulo Personam aliquam sibi dari, quæ pro determinatione concordet parti, quam æstimat saniori ratione moveri. Hoc idem etiam observetur in quibuscumque aliis negotiis Generalis Capituli, in quibus similis occurrat dissensio. Si autem hoc in Capitulo contingat privato, ipsi de Capitulo hujusmodi Personam sibi eligant, quæ similem (ut præfertur) una cum ipsis habeat potestatem. Præterea dum tractandum fuerit aliquid in speciali de aliquo Priore vel Monacho, aut de Domo, cujus est Prior vel Monachus, hoc tractetur & determinetur ipso, quem vel cujus Domus negotium tangit, absente. Qui vero remanserint, sint Judices in causa illius absentis, vel Domus ejus. Sane qui fuerint a Prioratibus absoluti seu privati, ad eisdem Prioratus illa vacatione nequeant eligi vel assumi.

Extravagans unica.

§.91. Priores, quibus ex dispositione hujus Constitutionis faciendâ erit misericordia, & a Prioratibus absolvendi sunt, prius vocati, vel personaliter vel per suos Procuratores in Diffinitorio audiantur; illisque notificentur causæ & rationes ad suam absolutionem & misericordiam faciendam, Diffinitores moventes: Quibus si dicti Priores plene non satisfecerint, Patres Diffinitores ipsos hortentur, ut sponte renuntient, libereque cedant Prioratibus; & si fecus fecerint ad misericordiam sine strepitu judiciali procedatur.

CONSTITUTIO X.

Quomodo eligi debeant Deputati Capituli privati, & de eorum facultate, & quomodo removeri poterunt.

§.92. Ad tenendum Capitulum privatum, quoties illud intra triennium teneri oporteat, Pater Generalis & Diffinitores, sua præhabita deliberatione matura, assignent in ultima die quatuor Personas nostri Ordinis, Priores vel Monachos, aut mixtim ex utrisque, discretas, a Monasterio, in quo residet Pater Generalis, non multum remotas. Quod quidem Capitulum teneatur ad dispositionem Patris Generalis, pro negotiis videlicet, quæ sibi multum ardua videantur, aut quæ absque dispendio non patiuntur moram usque in futurum Capitulum Generale. Qui utique Assignati omnino veniant, cum per prædictum

Ad habendum Capitulum privatum quatuor Professus a Patre Generali, & Diffinitoribus assignandi.

Patrem Generalem fuerint evocati: Si tamen vocati, seu eorum aliqui sint infirmi, aut alio justo impedimento detenti, causam hujusmodi prædicto Patri Generali notificent: quo casu ipse loco illius vel illorum, ut prædicitur, impeditorum, alium vel alios eligat, prout viderit expedire. Idem faciat si aliquis vel aliqui eorum vel omnes sint rebus humanis exempti, vel secundum iudicium suum, sint nimis in remotis locis occupati. Attendat tamen Pater Generalis, quod Visitatores confirmatores generales vel speciales, aut Personas pro Capitulo privato, sive pro quibuslibet aliis negotiis assignatas a Generali Capitulo, non mutet ex eo, quia prædicti assignati mutaverint statum suum; utpote si ille, qui erat tempore Generalis Capituli Prior, postmodum non sit Prior, aut è contrario; sed oportebit, quod alia iusta & rationabilis causa ad hujusmodi mutationem, si quam oporteat facere, eum moveat. Præterea quæcumque fuerint ordinata seu definita per jam dictum privatum Capitulum, quoties, ut præmittitur, fuerit congregatum, firma & valida in toto nostro Ordine teneantur. Si quæ vero per idem privatum Capitulum fuerint minus bene ordinata seu definita, per sequens Generale Capitulum debite corrigantur.

Extravagans I.

§.93. Deputati pro Capitulo privato eligantur per scrutinium & per schedulas secretas a Patre Generali, & octo Diffinitoribus, itaut electus quinque suffragia ex novem habere debeat.

Si vero per suffragia secreta.

Extravagans II.

§.94. Pater Generalis non possit remove aliquem ex designatis pro Capitulo privato, sine consilio & consensu Visitorum Generalium Regnorum Castellæ; super quo stricte eorum conscientia onerantur. Neque possit remove Visitatorem Generalem assignatum a Capitulo privato, sine consensu Capituli privati Deputatorum.

Aliquem vero electorum P. Gener. remove non possit.

Extravagans III.

§.95. In posterum Pater Generalis non possit remove Visitatores assignatos a Capitulo Generali, sine consensu Capituli privati.

Nec Visitatores designatos a Capit. Gen.

Extravagans IV.

§.96. Si contingat, quod moriatur, aut impediatur aliquis ex Visitoribus Generalibus, non possit Pater Generalis nominare, neque in ejus locum eligere Visitatorem sine consensu Capituli privati; nisi solum remaneant visitanda quatuor, quinque, aut sex Monasteria. Verum ne Visitatio incepta in aliquo Monasterio detineatur, si alter Visitorum graviter ægrotaverit, vel mori contingat, Convistorator ex Monasteriis propinquo-ribus, socium debita requisita habentem, nomi-

Neque eorum aliquo defuncto successorem per se eligere.

minare possit pro Visitacione incepta perficienda & proseguenda in uno, vel duobus aliis Monasteriis. Si tamen infirmitas fuerit diuturna, aut Visitorator obierit, statim Convistorator notificet Patri Generali, ut de Visitoratore, ut supra, provideat.

Extravagans V.

§.97. Non celebretur Capitulum privatum post congregatum Capitulum Generale in Monasterio Sancti Bartholomæi, nisi urgente gravi & extrema necessitate; & tunc nullus inhabilitetur, quin prius vocetur & audiatur; alias inhabilitatio invalida sit, nullumque habeat effectum.

Nemo inhabilitandus non audiet.

CONSTITUTIO XI.

De electione & facultate Visitorum Generalium.

§.98. Certas Personas in Generales Visitatores Personarum & Domorum nostri Ordinis, constitutas in Sacris, Deum timentes, discretas, & Sanctæ Religionis zelum habentes, Pater Generalis & Diffinitores, diligenti deliberatione præhabita, in ultima die Capituli Generalis publice in eodem Capitulo nominent & assignent, qui Personas & Monasteria Ordinis eidem assignata infra triennium visitent, in tertio videlicet anno suæ assignationis; quam utique visitationem faciant secundum formam traditam in quadam nostra Constitutione infra scripta. Cæterum nullus Visitor suum visitet Convistoratorem, sed possit tantum informationes recipere, & quatenus opus sit, ad Patrem Generalem transmittere, ut provideat. Neque Visitor aliquis visitet Domum, cujus est professus, donec habeat facultatem redeundi ad Domum suæ professionis; sed loco illorum, qui, ut præfertur, visitare non debent, assignentur prædicta ultima die & in eodem Capitulo alii Visitatores ad hujusmodi visitationem speciales habeant autem omnimodam & plenariam potestatem emendandi & corrigendi negligentias & excessus tam Priorum quam Monachorum Ordinis nostri, post visitationem proxime præteritam contingentes. Si autem negligentia seu excessus correctione indigentes, qui ante hujusmodi visitationem præteritam contigerunt, Visitatores præteritos latuerunt, tunc Visitatores presentes possunt & debent talia corrigere, & prout expedit, emendare. Nullam tamen possunt facere constitutionem seu ordinationem de novo, quæ communem Ordinis statum concernat, nec Monachorum Domus visitare; nisi de Prioris, aut, Priore absente, Vicarii licentia confessiones recipiant, nec prætextu suæ potestatis aliquem a suo Prioratu, nisi de speciali licentia Capituli Generalis vel Patris Generalis, absolvant, nisi in casibus infra scriptis, videlicet: pro hæresi; pro simonia manifestata: pro carnali immundicia: pro dilapidatione bona Monasterii enormiter alienando: pro furto: homicidio: gravi fortillegio: solemniperjurio: pro conspiratione, hoc est cum

Visitatores Constitutionem pro toto Ordine facere nequeant.

Casus, quibus quis Prior potest esse deponi potest.

aliquibus malitiosa concordia ad obviandum Ordinis disciplina, aut statutis Capituli Generalis: Si fuerit falsarius literarum Domini Papæ, aut Cardinalium aut Principum aut Episcoporum, vel Priorum nostri Ordinis: Si contra communia nostri Ordinis instituta, gratias aut Privilegia impetnaverit, vel retinuerit, vel uti præsumperit. In quibus casibus, facta hujusmodi absolutione, electioni celebrandæ novi Prioris interfuit, & ipsam confirmari aut infirmari. Nullatenus tamen ipsorum Visitorum aliquis eligi poterit in hoc casu, nec alio quocumque modo vacaverit, nisi morte, vel triennii elapsu; nec dicti Visitatores recipere possint renuntiationem alicujus Prioratus absque speciali potestate Capituli Generalis vel Patris Generalis, sibi ad hoc specialiter concessa; nec ab ipsa Domo discedant, priusquam sit illi de Priore provisum. Sane si Persona electa, ab eodem Monasterio longe distet, & interim prædictos Visitatores ibidem moram trahere, foret nimis damnosum, suæque Visitacionis impedimentum, tunc ipsi dent Confirmatores illius electionis non multum remotos, & illi cum fuerint vocati, teneantur ad illam Domum illico pervenire, & ea, quæ ad Confirmatorum pertinent Officium exequi; neque ab illa Domo animo non revertendi recedant, donec illi de Priore provideant. Quod si prædictis Visitoribus melius & facilius videatur, quod ipsimet ad dictam Domum tempore congruo revertantur, tunc Confirmatores alios non assignent, sed ipsi hujusmodi electionis & confirmationis negotium modo debito exquantur. Ad hæc, quocumque casu viderint expedire, possint præfati Visitatores Priorem suspendere ab officio & administratione Prioratus ad tempus, vel usque ad Capitulum Generale, & hujusmodi absolutionem seu privationem, si quam fecerint, protinus Patri Generali in scriptis notificent, ut idem hujusmodi negotia sciat, & si oporteat, provideat in eisdem. Præfatum quoque potestatem confirmandi vel infirmandi electiones habeant Generales Visitatores in Prioratibus Domorum suæ visitacionis, quas tempore, quo in eisdem Domibus generalem suam Visitacionem exercent, etiam si alias, quam per privationem, vacare contigerit.

Extravagans I.

§.99. Officia, quæ providentur a Diffinitoribus, qualia sunt Visitorum Generalium, Deputatorum Capituli privati, & Priorum novarum Domorum, conferantur per electionem cum scrutinio, & non per compromissum; Idemque servetur in privato Capitulo.

Officia, quæ providentur a Diffinitoribus per scrutinium conferenda.

Extravagans II.

§.100. Mandatum commissionis traditæ Visitoribus Generalibus sit subscriptum a Patre Generali & ab omnibus Diffinitoribus, remaneatque & conservetur apud Patrem Generalem, quousque, tempore visitacionis adveniente, dictis Visitoribus cum sigillis ab ipso consignetur.

Mandatum pro Visitoribus a Patre Generali, & Diffinitoribus subscribenda.